

tiones testamenti, a moniali quadam Belgica ante professionem suam conditi, rescriptum est in hunc modum: « S. Pœnitentiaria, consideratis expositis respondet quod vota monialium in Gallia et Belgio habentur ut simplicia, et ideo oratrix rem agat cum ordinario et ejus judicio se dirigat. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 2 decembris 1854. » (Ibid. pag. 517.) Nihilominus Domino Bouix videtur concludendum quod vota monialium in Belgio sint solemnia, pag. 520. Ex adverso stant scriptores *Analect. jur. pontif.* qui, propter varias rationes, et ex defectu clausuræ pontificiæ et aliis momentis, dictam votorum solemnitatem impugnant, uti videre est serie III, fascic. 22 sept. et oct. 1857.

Quoad moniales in Statibus-Unitis Americae septentrionalis existentes necnon in regionibus Imperatori Austriae subjectis degentes, attendenda sunt sequentia decreta:

« Archiepiscopo Baltimoreensi, Perillustris ac reverendissime Domine uti frater. Pluribus abhinc annis, ut optime novit amplitudo tua, nonnulla sacrae huic congreg. EE. et RR. proposita fuere dubia quoad votorum naturam, quæ ab istarum regionum monialibus emittuntur. Cum vero nihil super iisdem S. congregatio decernendum ante putaverit quam locorum episcopos sententiam rogasset, acceptis tandem illorum responsionibus, minime distulit de universa rei ratione Sanctis. D. N. referre. Porro Sanctitas Sua, prævio rei examine ab aliquibus EE. ac RR. hujus S. congregationis Patribus habito, auditoque eorum voto, hæc quæ sequuntur statuit ac declaravit:

« 1. Vota, quæ a monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis in monasteriis locorum Georgestoren. Mobile, Kaskiasias, S. Aloysii et Baltimore, vi rescriptorum a S. Sede ab eisdem jam obtentorum, esse solemnia.

» 2. Quoad clausuram, prædictas moniales uti posse facultatibus sibi in variis rescriptis a S. Sede concessis.

» 3. Ratione habita ad temporum locorumque circumstantias, in posterum ab eisdem monialibus Visitationis, post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque annis a votorum simplicium professione, admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, præviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professæ votorum solemnium fruuntur et gaudent.

» 4. Vota, quæ ab aliis monialibus in monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu quo rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab apostolica Sede obtinuerint.

» 5. Tandem in monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus-Unitis, vota a monialibus emittenda esse simplicia.

» Itaque de mandato Sanctitatis Suae declaratio hæc ad amplitudinem tuam per præsentem transmittitur ut eam cum cæteris istorum locorum or-

dinaris communicare velis ad rectum monasteriorum regimen ac disciplinam; quod dum perficer curabis, cuncta fausta ac prospera tibi adprecor a Domino. Datum Romæ ex secretaria S. Congr. episcop. et regular. hac die 30 sept. 1864. » (*Collect. in usum. secret. S. C. episcop. et regular.* pag. 791.)

« Ob tristissimas ætatis nostræ conditiones, inquit auctor *Collect. in usum secretariæ* etc., S. Sedes quasdam peculiare dispositiones quoad moniales opportunas existimavit; hinc factum est ut in nonnullis locis professionem duntaxat votorum simplicium monialibus permiserit, ut in Gallia; in nonnullis aliis indulserit ut votis solemnibus vota simplicia præmittere possint; et in resolutione, de qua nunc actum est, præscriptum reperimus vota simplicia professioni votorum solemnium a monialibus Visitationis dictorum locorum præmittenda esse. Hujusmodi lex de præmittendis votis simplicibus, quoad ordines et instituta virorum, lata fuit anno 1857 a S. C. super statu regularium quæ statuit ut pro monialibus peculiaris positio in posterum conficeretur; quæque locorum non habuit. Secundi casus documentum habetur in encyclica scripta a S. C. EE. et RR., prævio examine S. C. super statu regularium, antistitibus ditionis quæ Austriae imperatori subest, quæ sic se habet:

« Perillustris ac Rev. Domine uti frater. Inter » multiplices sollicitudines quibus Sanctis. D. N. » Pius PP. IX quotidie detinetur, animum suum » convertit ad sanctimonialia virgines quæ in ditione Sacrae Caesar. Apost. majestatis existunt ut » speciali providentia iisdem consuleret. Peculiaribus igitur adductis rerum adjunctis, apostolica » auctoritate tibi facultatem, donec aliter provideatur, tribuit indulgenti novitiis monasteriorum sanctimonialium virginum tuæ diocesis, in » quibus vota solemnia emittuntur, quæque sub » dominatione imperatoris Austriae et regis apostolici reperiuntur ut, antequam vota solemnia » Deo nuncupent, vota simplicia, non tamen ultra » vigesimum quintum expletum ætatis annum, » emittere possint. Insuper Sanctitas Sua, summopere cupiens virgines Deo sacras magis in dies » ire de virtute in virtutem et æmulari semper » charismata meliora, eas pastoralis tuæ curæ in Domino enixe commendat ut, pro eo quo flagras » religionis zelo, monasticam disciplinam et observantiam sedulo promoveas. Hæc ex mandato » Sanctitatis Suae amplitudini tuæ significo, et » prospera ac fausta cuncta a Domino adprecor. Datum Romæ ex S. C. EE. et RR. die 19 martii » 1857. Addictissimus uti frater. G. card. della Genga, præfectus. A. archiep. Philipp. secretarius. » (Ibid. pag. 792.)

LITTERÆ APOSTOLICÆ SUPER NULLITATE PROFESSIONIS VOTORUM SOLEMNIUM, NON PRÆMISSA PROFESSIONE VOTORUM SIMPLICIUM.

« Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. » Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic dis-

ponente, vocati, pro pastoralis qua urgemur sollicitudine haud prætermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem animique curas intendere ut eæ, de christiana et civili republica optime merita, ad pristinum splendorem revocarentur et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum qui vota solemnium Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur qui sæculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel veræ vocationis expertus, susceptive instituti pertæsus gravem sodalibus molestiam inferat, cum disciplinæ perturbatione et regularis observantiæ discrimine.

» Idcirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. cardinalium congregationis super statu regularium, nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quæ illud præsertim in præsens commemorandum est, quod per litteras encyclicas die 19 martii 1857 a V. F. Andrea Bizzarri archiepiscopo Philippensi, memoratæ nostræ congreg. secretario, signatas publicatum est. In præfatis autem litteris hæc quæ sequuntur, quoad religiosos virorum ordines ac instituta, ex nostro expresso mandato et apostolica auctoritate sancita fuere scilicet: « Per racta probatione et novitiatu ad præscriptum S. Conc. Tridentini, constitutionum apostolicarum, » et statutorum ordinis a S. Sede approbatorum, » novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint ætatem annorum sexdecim ab eod. Trid. concilio statutam, vel aliam majorem quæ forsitan a statutis proprii ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint ætatem quæ in const. Clementis VIII, incipiente *In supremo*, præfinita est. » Professi post triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiuntur, » ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. » Poterit vero superior generalis ac etiam superior provincialis, ex justis et rationabilibus » causis, professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provincialis non habeantur, eadem differendi » professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatu, de » consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta congregationis super statu regularium incip. *Romani Pontificis*, et *Regulari disciplinæ* anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium. »

» Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit, ex ipsa experientia comperimus quan-

tum utilitatis ex eo religiosæ familiæ retulerint et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, prætermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum remove, motu proprio, et certa scientia, deque apostolicæ nostræ potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias cujuscunque ordinis, congregationis et instituti, in quibus solemnia vota emittuntur, statuimus ac decernimus nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter quam ignoranter, quovis modo, pretextu et colore factam a novitiis quibuscunque, etiam a laicis et conversis, qui, licet probationem et novitiatum prout de jure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a superioribus vel a novitiis, vel ab utriusque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium præscripti.

» Hæc volumus, statuimus, præcipimus, mandamus, non obstantibus, quatenus opus est, constitutione Benedicti XIV prædecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cujusque ordinis, congregationis et instituti, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro insertis habentes, ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Decernentes has nostras litteras semper et perpetuo validas efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus in violabiliter observari, et si secus super his a quocunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse et fore volumus et declaramus.

» Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 7 februarii 1862, pontificatus nostri anno decimo sexto. — B. card. BARBERINIUS.

« DECLARATIONES. Sanctiss. D. N. Pius PP. IX, attentis precibus magistri generalis ordinis Prædicatorum S. Dominici, hæc quæ sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis litteris hujus S. C. super statu regularium die 19 martii 1857 præscriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum qui ea emittunt,



pro eodem ordine Prædicatorum decernenda statuit, prout præsentis decreti tenore apostolica auctoritate decernit atque constituit :

» I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, ut vota quæ tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

» II. Eorundem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici cui professi gravibus exigentibus causis preces porrigere poterunt.

» III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut data dimissione professi ab omnium dicatorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

» IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad magistrum generalem ordinis cum suo generali consilio. Idem magister generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et præsertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos qui saltem tres esse debent.

» V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa caritate, prudentia et ex justis rationabilibus causis, quacunque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventæ dimitti poterit.

» VI. Professi dicatorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

» VII. Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias duntaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et præsertim quæ circa ordinationes regularium ab Apostolica Sede præscripta sunt.

» VIII. Anni professionis qui in dicto ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

» IX. Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum honorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quod in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

» X. Professi votorum simplicium remanere de-

bent in domibus professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

» XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

» Hæc Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis quibuscunque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus apostolica auctoritate derogat ac derogatum esse declarat.

» Datum Romæ, ex secretaria ejusd. S. C. super statu regularium, hac die 12 junii 1858. — A. arch. Philippen. secretarius.

» N. B. Huiusmodi declarationes extensæ fuerunt ad alios ordines qui eas expostularunt, sed pro ordinibus Minorum observantium et reformatorum, necnon Capuccinorum, in art. IX sublata sunt verba « ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint; » et subrogata sunt alia verba nempe : non tamen suo ordini.

» Beatissime Pater. Fr. Alexander Vine. andel magister generalis ord. PP. Prædicatorum exponit, occasione nuperrimi decreti a S. C. super statu regularium, die 12 jun. 1858 apostolica auctoritate editi, nova quædam in quibusdam sui ordinis conventibus exorta fuisse dubia, quorum solutionem ab eadem S. C. enixe et humillime exposcit.

» I. Cum ex præfati decreti n. 8 professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi, quæritur an inter huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam præterquam quod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest quod professi simplices numero excedant professos solemniter, et inter eos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint?

» II. Utrum rejectio alicujus professi simplicis a majori parte Patrum in consilio vel totius conventus in capitulo per suffragia secreta prolata, ab ordinis generali magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tanquam legitima et justa causa aut prudens iudicium, ad hoc ut ejusdem professi votorum simplicium dimissio ab ordine, et eorundem votorum solutio ab ipso cum suo generali consilio decerni et declarari possit?

» III. Et quatenus negative, quæritur tertio quid agendum si PP. conventus ad excludendum novitium a professione solemniter perseverent, nec ulterius eadem differri possit, eo quod viginti, quinque ætatis suæ annos novitius expleverit?

» Sanctiss. D. N. Pius PP. IX, in audientia habita, die 7 febr. 1862, ab infra scripto secretario S. C. super statu regularium ad supra scripta proposita dubia rescribendum mandavit nempe :

» Ad I, negative;

» Ad II negative;

» Ad III. Pro admissione ad vota solemnia post

expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum; minime vero a superiori speciali vel ab ejus subdelegato standum erit resolutioni ejusdem capituli. Quod si aliunde habeantur legitimæ causæ ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt quæ in art. IV et V declarationum præscripta sunt.

» Insuper Sanctitas Sua ea quæ in hoc responso continentur, etiam ad alios ordines et instituta extendit et extensa esse declaravit. — A. BIZZARRI arch. Philippen. secretarius.

Lege documenta varia, circa quæstiones in hac præsentis Adnotatione tractatas, in eximio libro cui titulus : *Collectanea in usum secretariæ S. C. episcop. et regularium, cura A. Bizzarri archiepiscopi Philippensis secretarii edita*; Romæ, ex typographia R. C. A. 1863, in-4°. Sanctissimus D. N. Pius IX illud opus dono dedit omnibus episcopis qui, anno 1867, Romam confluerunt, centenarii Beatorum Apostolorum Petri et Pauli celebrandi causa. In appendice II, pag. 867 et seqq. repetuntur Acta sacre Congregationis *Super statu regularium* hodiernis temporibus a Pio IX erectæ.

## ADNOTATIO II.

*Lib. III. Decretal., Tit. XXXI, § II, n. 67; pag. 18.*

DE CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS, EARUM MULTITUDINE, ET SUPERIORIBUS APUD EAS ELIGENDIS.

« Per religiones, inquit D. Bouix, seu quod idem est, per religiones stricte dictas, seu formales, intelligenda sunt instituta quæ essentialiter status religiosi habent cum votis solemnibus; per congregationes autem religiosas intelligenda sunt instituta quæ essentialiter status religiosi habent sed cum votis duntaxat solemnibus. » (*Tract. de jure regular.*, tom. I, pag. 187.)

In *Collectan. in usum secretariæ S. C. Episc. et regular.*, legendus est Elenchus præcipuorum institutorum, quæ postremis temporibus a S. C. laudata vel approbata fuerunt, et usque ad numerum 124 creverunt, ab anno 1816 ad annum 1862; pag. 891 et sequentibus.

Porro præmemoratus auctor D. Bouix, ibid. pag. 194 et seqq., probat existere legem ecclesiasticam, de qua etiam Reiffenstuel noster, hoc paragrapho n. 59, prohibentem ne quis novam religionem vel novum ordinem inducat, et ne quis ingrediatur religionem non approbatam a Sancta Sede. Dein, pag. 209, sic loquitur : « Noto notius est pullasse, recentioribus præsertim temporibus, novas congregationes absque pontificia auctoritate inchoatas et institutas, quid de iis sentiendum? an illicitas eas fuisse et permansisse, atque errasse episcopos qui jus eas approbandi sibi adcripsere? An vero ex repetitis ejusmodi factis, necnon ta-

cito Sedis apostolicæ assensu, jamdudum vigere desierit, quoad religiosas congregationes, Pontificiæ approbationis necessitas, ita ut hodie licite valeant de sola episcopi licentia erigi et institui? » His quæstionibus respondet D. Bouix statuendo quatuor propositiones, scilicet : « Prop. I. Consuetudine jam inductum est ut novæ congregationes de sola episcoporum licentia inchoarentur. Prop. II. Dicta consuetudo de iis est quæ contra legem legitime præscribere potuit. Prop. III. Satis hodie comitat Sedem Apostolicam in præfatam consuetudinem consentire, Prop. IV. Canonica lex de non inveniendis novis religionibus, in quantum prohibebat etiam congregationum sine votis solemnibus inchoationem, in desuetudinem abiisse censenda est. »

Sub forma scholi, pag. 214, idem auctor hæc addit : « Si vera sit opinio quam sub præsentis paragrapho propugnari, sequitur licite hodie inchoari et constitui, cum sola ordinariorum approbatione et auctoritate, congregationes illas quæ simplicia duntaxat vota ex proprio instituto in perpetuum emittunt, et, a fortiori illas quæ nulla vota vel non perpetua nuncupant. Item sequitur licite ex sola ordinarii facultate constitui earum congregationum conventus. Si vera sit, inquam, hæc a me propugnata sententia : nam in re tam gravi, et deficiente doctorum qui modernam illam quæstionem excusserint auctoritate, vereor ne minus considerate in eam conclusionem iverim. Quapropter, sicut cætera a me scripta, hæc imprimis locum Sedis apostolicæ correctioni subijcio; atque ex nunc pro tunc, si erroneus judicabitur, retraho prorsusque rejicio. »

Cf. Hélyot, *Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires, et des congrégations séculières de l'un et de l'autre sexe, qui ont été établies jusqu'à présent*. Parisiis, J. B. Coignard, 1721, 8 vol. in-4°. — Henrion, *Tableau des congrégations religieuses formées en France depuis le XVII<sup>e</sup> siècle*. Paris, apud Societat. honor. libror., 1831, in-12. — Idem, *Histoire des ordres religieux, depuis leur origine jusqu'au temps présent*, 3 vol. in-12. — Durand, *Manuel historique des ordres religieux*. Parisiis, Gauguier, 1859, in-12.

Quoad superiores in dictis congregationibus eligendis, in archivio cancellariæ episcopi Atrebatensis sequens decretum reperimus :

« Beatissime Pater. — Episcopus diocesis Atrebatensis in Gallia, ad pedes S. V. provolutus humiliter, expostulat ut apostolica Sedes sequentem solvat difficultatem conscientiam suam exagitantem. In singulis fere mulierum monasteriis, in sua diocesi existentibus, superiores eliguntur ad triennium. Antiquæ constitutiones ordinum religiosorum permittunt eandem personam eligere ad aliud triennium, sed pro una vice tantum, et pro altera vice recurrere debent ad episcopum. Quæritur an possit ordinarius relectionem permittere pro aliis absque termino vicibus. Non raro advenit quod penuria vel ætatis satis maturæ vel idoneita-